



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Synopsis Magnalium Divi Josephi

Ignatius <a Sancto Francisco>

Leodii, 1684

Cap. 6. Diluuntur argumenta à ratione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38500

bebunt, si filium non habebunt, quem nisi per baptismum ejus habere non possunt, Tandem quarto loco c. 28. Constitue igitur quemlibet parvulum, si jam cum Christo est, ut quid baptizatur? Si autem, quod habet veritas, ideo baptizatur, ut sit cum Christo, & quia non est cum Christo adversus Christum est: neque enim ejus tam manifestam debemus aut possumus infirmare, vel mutare sententiam: unde igitur adversus Christum nisi expectato? neque enim ex corpore & anima, qua utraque Dei creatura est. Porro si ex peccato, quod in illa etate nisi originale & antiquum? una est quippe caro peccati, in qua ad damnationem omnes nascuntur. Ex quo sic Dausquius: Constitue hic parvulum Josephum natum, baptizabitur ne? aut circumcideretur an non? si non? non est cum Christo, sed adversus Christum de mente Augustini: quod si cum Christo est, ut quid baptizaretur vel circumcideretur?

IX. Respondeo his locis D. Augustinum loqui de peccato originali in quo omnes omnino naturaliter concipiuntur, & consequenter naturaliter nascuntur, de quo ejus unico remedio, scilicet baptismo secundum legem communem & ordinariam, non vero secundum legem extraordinariam, secundum quam potest & impedire ne quis cadat in peccatum originale, ut impeditur Bearam Virginem, vel in eo lapsum quando & quomodo voluerit relevare, ut fecit Divum Josephum, contra quam doctrinam nihil faciunt loca illa ex D. Augustino à Dausquio racemata.

X. Secundò, Dausquius integrum opponit agmen Patrum in Synodo Cathaginenfi contra Pelagium & Cœlestium coactorum, dicentium in Photii Bibliotheca, *infantes recens natos, quod culpã proavitam ex Adam non trahant aitentibus non egere baptismo, Anathema sit.*

XI. Respondeo idem profiteri nec dicimus D. Josephum non eguisse baptismo aut circumcissione, multò minùs dicimus non eguisse quod culpam proavitam ex Adam non traxerit: asserimus enim seu supponimus traxisse: sed dicimus in utero sanctificatum fuisse, quare non eguisse circumcissione ut ab illa culpã mundaretur, à quã jam erat

mundatus per infusam singulari privilegio sanctificationis gratiam, eguisse tamen hoc non obstante adhuc circumcissione, uti egeret nunc baptismo si quis daretur in utero sanctificatus, ad consequendum characterem quo Christo configuraretur, cæterisque Ecclesiæ membris conformaretur. Vide Divum Thomam 3. part. quæst. 66. artic. 1. ad 3.

SECTIO VI.

Diluuntur argumenta à ratione.

PRIMUM sic proponit Dausquius Binoctii cap. 2. Omnes qui illuminantur, nati illuminantur, non antequam nascantur, pater ex Joani. cap. 1. *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, non antequam veniat: ergo Josephum Christus non illuminavit in utero, & antequam in hunc mundum aspectabilem venisset. Joannis autem testimonium ad primam gratiam certò certius redigi debet: Hæc ille.

Quis non rideat hoc puerile argumentum & Theologum pueriliter grammatizantem? Audi enim Dausqui, me jure reconventionis te justè reposcentem, illuminat Christus omnem hominem venientem in hunc mundum: tu ex hoc sic arguis, dicit venientem non antequam veniat, ergò justè ego retorqueo, similiter: dicit venientem non postea quam advenit: sed unusquisque advenit, nec est antequam adveniens, primo instanti post nativitatem, ergo ante illud instans omnes jam à Christo illuminati sunt; id est ex te, primam gratiam receperunt (intelligitur enim inquis testimonium illud Joannis certò certius de primâ gratiã.) Ergo mi Dausqui ad expurgationem à peccato originali non necessaria Circumcissio, aut est Baptismus, qui subiectum jam illuminatum invenient: vide ergo an non jure in hortum tuum rejiciam quem in nostrum projecisti lapidem, ex Calvino in antidoto Concilii Trident. Sess. 6. cap. 5. hic infra ad object. 5.

T 3

Sed

- III. Sed missis his nugis ex puerilibus crepundiis, Respondeo homines venire in hunc mundum quando in utero concipiuntur, atque adeò Divum Iosephum, D. Joannem Baptistam, & Ieremiam Prophetam, qui in utero sanctificati sunt, vel Beatam Virginem quæ Ecclesiæ sensu à peccato originali in suâ Conceptione præservata fuit, esse de numero illorum, qui venientes in mundum à Christo illuminati sunt, cum non nisi ab illo & propter illum gratiam sanctificationis acceperint: quin immò illi sunt capita istorum, & primum inter eos tenent locum, magisque idèò Christo tenentur: *Cum enim augetur dona rationes etiam crescunt donorum*: & sicut *ille plus amat qui plus donavit*, Lucæ cap. 7: ita vicissim ille plus redamare tenetur cui plus donavit.
- IV. Objicit secundo Dausquius, Ioseph aut ad vetus pertinebat testamentum aut ad novum: si ad vetus, ergo non fuit sanctificatus in utero ante natiuitatem, nam circumcisio quæ erat tunc unicum sanctificationis primæ instrumentum tantum die à partu octavo perficiebatur: si ad novum, non nisi natus potuit renasci, nec aliam viam ad sanctificationem aperuit Christus. Respondeo hoc argumentum æquè noceret sanctificationi Dei patris ac Divi Iosephi, quare dico non fuisse in veteri Testamento aliud instrumentum sanctificationis commune & ordinarium quàm circumcisio, aut in novo quàm renascentiam, seu Baptismum: Divum autem Iosephum, Ioannem Baptistam, Ieremiam Prophetam, & Beatissimam Virginem singulariter electos, singulari beneficio viâ extraordinariâ à Deo gratiam sanctificationis accepisse.
- V. Objicit tertio, Dausquius ibid. & cap. 47. ex hac doctrinâ de D. Iosephi in utero sanctificatione, fenestra aliis erroribus aperitur, atque ex visibili Ecclesiâ prope itur ad invisibilem, cum sanctificatio invehenda signis exterioribus Sacramentorum ad uteri invisibiles latebras modo incognito revocatur.
- V I. Sed ad hoc tuum in hac materiâ Achillem Dausqui audi meam Responsum. Ecclesia docet cum baptismo in voto vel contritione internâ morte præoccupatos certissimè salvari: atque adeò nexu necessario docet per baptismum illum in voto, vel contritionem illam internam fuisse mundatos: Hic mi Dausqui ubi signum sanctificationis externum? Quod si plus tibi sunt uteri latebræ, quàm voti vel mentis; dic amabo, nonne in utero Matris illatebrati infantes, quos ob Christum in Matre Catholicâ insecutû, persecutorum manus impiè præfocavit ex receptissimâ Theologorum sententiâ sanctificati? Quot verò omnium exempla? contra hos nihil habet Dausquius quod objiciat, contra unicum Divum Iosephum totus spumat: Sed Responderet Dausquio efficacissimè, quod quemadmodum per illas insolitas in mentis vel cordis recessu sanctificationes nullus dixerit præiudicium inferri Ecclesiæ visibili, aut propè iri ad invisibilem, ita nec per D. Iosephi in utero sanctificationem, quem nec Circumcisionis cultro ob id substractum volumus, imò eguisse asserimus, non quidem ut mundaretur, sed ut suscepto per signa Sacramenti externa fidelium caractere Christo configuraretur, cæterisque Ecclesiæ membris conformaretur & Sacramentis aptaretur.
- Objicit quartò Dausquius, ea opinio prono lapsu fertur ad spiritum erroris, spiritum soporis, spiritum vertiginis, qui spiritus sacris monimētis sunt prædamnati. Nam totam hanc de D. Iosephi Sanctificatione tractationem ad suam credulitatem & pietatem redigunt homines superciliosi, quasi minus sit in reliquis Ecclesiæ artibus pietatis aut veritatis. Et cum cæteris non minus liceat quàm istis opinatoribus, nonne quisque fidei suæ faber erit?
- Respondeo, eorum quæ à fidelibus creduntur ex communi Theologorum placito, duplex est classis. Prima est illorum quæ necessariò sunt ad salutem credenda, qualia sunt omnia illa, quæ ex Scripturâ vel Traditione ab Ecclesiâ proponuntur. Secunda Classis est illarum rerum quæ liberè quidem creduntur, utiliter tamen, quatenus scilicet ex inde fideles ad pietatem inducuntur, qualia sunt illa quæ vel ex historiis Ecclesiasticis receptis, vel ex Revelationibus

Revelationibus & Apparitionibus approbatis, vel ex validissimis rationibus Scripturæ non adversantibus, vel populorum consensu, Ecclesiæ tacito vel expresso nutu, Autoritate Pontificiâ, miraculis, aliisque similibus firmitatem habent, quorum fides dicitur pia, quia ad pietatem inducit; dicitur libera, quia sine illâ possumus consequi salutem: De utraq; hæc scilicet & illâ differit Apostolus 1. ad Timoth. cap. 6. vers. 3. dicens: *Si quis aliter docet, & non acquiescit sermonibus Domini nostri IESU-Christi, & ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ, superbus est nihil sciens.* His politis:

IX. Dicimus doctrinam quam hæc tradimus de D. Josephi in utero sanctificatione, spectare non ad primam classem, sed ad secundam, & hoc non ignorat Dauſquius, quomodo ergo potuit dicere (etiam posito quod esset falsa) illam inducere ad spiritum erroris, soporis & vertiginis, quem manifestum est esse spiritum errantium contra primam fidem, & necessariam ad salutem? Et quidem cum ubique circumferatur, in libris infinitis approbatis doceatur, resonet in omnibus Christiani Orbis pulpitis, sciente & non contradicente Ecclesiâ? Cum ei in pleno Concilio Constantiensi appausum sit, & Pontifex sciens taceat, in aliâ illis affine locutus, ut suprâ dictum est? Quid est quod ille solus in illam zelatur Dauſquius? ac si minus sit in reliquis Ecclesiæ artibus, quam in ipso pietatis & veritatis? Nonne tu ipse superciliosus Dauſqui, vel iudicio Apostoli superbus & nihil sciens, qui non acquiescis, imò tam irreverenter contradicis ei quæ secundum pietatem est doctrinæ?

X. Caterum cum hæc fides quæ creditur de D. Josephum fuisse in utero sanctificatum sit libera, unicuique licitum est talis fidei suæ esse fabrum, & tibi etiam erit Dauſqui dum supercilium tuum deposueris.

Itæ domum Sauræ, venit Hesperus; itæ Capelle.

XI. Objicit quintò Dauſquius quod hæc doctrina de D. Josephi in utero Sanctificatione, alteri quæ est hæreticorum modernorum colludat, qui docent infantes fidelium ob prædestinationem

esse in utero sanctificatos; ita Calvinus in Antidot. Concil. Trident. scilicet 6. cap. 5. ubi sic satur novator iste. *Verum infantes à regno Dei arcere libuit qui ante crepti sunt ex hæc vitâ, quam offerri ad Baptismum potuerint: quasi vero de nihilo dictum sit eos nasci Sanctos, qui ex fidelibus nascuntur. Immo quo jure ad Baptismum eos admittimus, nisi quod promissionis sunt heredes: nisi enim ad eos pertineret vitæ promissio, Baptismum profanaret quisquis illis daret. Quod si Deus in regnum suum eos aoptavit, quanta injuria fit promissioni, quasi per se ad eorum salutem non sufficiat? Et infra. Inclusa est infantium salus in promissione, quæ Deus fidelibus suis testatur se fore illis, & semini eorum in Deum: Hæc ratione sibi nasci pronuntiabat qui ex Abraham ducebant originem: Hujus promissionis beneficio recipiuntur ad Baptismum quia censentur Ecclesiæ membra. Non à Baptismo igitur initium habet eorum salus, sed quæ jam in verbo fundata erat Baptismo obſignatur.* Hæc Calvinus.

Ut Dauſqui cavillatio in hæc objectione appareat, faciendâ est anatomia, seu distinctio exacta Doctrinæ Calvinianæ in illis verbis contentæ. Ergo ad rem. In his verbis sex docet Calvinus: Primò, Promissionem illam, *Ero Deus tuus, & seminis tui post te*, factam Abraham Genes. cap. 17. pertinere ad omnes omnium temporum fideles, eorumque successivè filios. Secundò, illam promissionem includi illi omniùm; non tantum prædestinationem, sed & salutem, non quocumque modo; sed ita ut illa promissio per se sufficiat, ad dictam salutem, illamque de facto efficiat. Tertio, itaque omnes filios fidelium vi illius promissionis statim ac sunt capaces illius participandæ; fieri sanctos, filios Dei, & æternæ vitæ heredes. Quarto, undè si contingat illos in utero mori, vel ex hæc vitâ alio modo eripi antequam possint ad baptismum offerri, hoc non obſtare quin salventur vi istius promissionis. Quintò, non enim baptismum esse institutum ut per illum baptizandi efficiantur justi; sed ut eorum justitia, quam jam vi promissionis acceperunt, obſignetur. Sextò, ut, proinde baptismus nihil aliud sit quam publicum sigillum, quod

Synopsis

Magnum
D.
Josephum
SV
an

XII

quò testantur eos qui ex fidelibus nati sunt, sanctos esse, & in fœdere promissionis comprehendi: Hæc sunt puncta doctrinæ Calvinianæ in verbis citatis, ut illa ad trutinam justam appendenti patebit, quæ non solum ibi Calvinus, sed & alibi sæpè repetit.

XIII. Jam videamus an nostra de D. Josephi in utero sanctificatione sententia cum illâ Calvinii colludat, ut placet Dausquio.

XIV. Nostra sententia docet. Primò, D. Josephum in peccato conceptum, & certò; non obstante illâ promissione, quemadmodum cæteri homines nasciturum, nisi ex singulari privilegio in utero præventus fuisset & sanctificatus. Secundò, sanctificatum non per istam promissionem aut ex vi illius. Tertio, immò nequidem ex vi sæ prædestinationis quamvis singularissimæ, quasi illa per se suffecerit ad illius sanctificationem. Quartò, sed quia cum tam singulariter prædestinatus esset Pater Christi Domini, meruit propter hoc illo privilegio donari. Quintò, undè hæc prædestinatio singularis D. Josephi, in ordine ad sanctitatem ejus uterinam, non habuit rationem causæ efficientis, quemadmodum dicit de suâ promissione Calvinus, sed tantum causæ simpliciter moventis. Vide ergo quàm nobis illudat Dausquius.

XV. Ultimo, Dausquius cap. 39. ejusdem Binoctii petit sibi designari tempus istius sanctificationis: & interrogat an ante Conceptionem? non potest inquit: in ipsa? ergo Dei Matri putativum Patrem æquiparas? & quis tecum? Ab ipsâ Conceptione? quando? primâ horulâ? primulo Mense? Secundo? Tertio? quando? tum irritorè subdit: Respondet Marchantius fortè in sexto, ne Baptistæ inferior sit: sed cur non in septimo? septimus sexto numero faustior est in ratione numeri apud Philonem Iudæum & Platonicos: septimus ubi de nativitate agitur sexto logè ominator est Plinio & Censorino authoribus: fortè in sexto mense? conjectura est: quid si dicam fortè in nono aut ineunte decimo, cum gratiæ ob majorem naturæ perfectionem aptior infans videri potest? Quid dicam? fortè in mense sexto, verius Xi-

sto, hoc est derafo ab aliis & nullo mense. Hoccine est cum opiniones novas mundo invulgas adversus receptissimam Ecclesiæ doctrinam docere? est universitati Christianorum illudere: Hæc ille irrisor: sed ô mi Dausqui? Risum tuum cum Ecclesiæ cap. v. 2. reputavi errorem, & emunge nasum. Serio interim ad quæsitum tuum respondebimus infra cap. 8.

Pro superponendo adjicio quod docet Ulpianus Jurisperitus Consultissimus, lib. 1. §. 2. ff. de Constit. Princip. *Privilegium ad exemplum non trahi: namque Princeps alicui ob merita indulget, veluti cui sine exemplo subvenit, personam non egreditur.* Atqui sanctificatio accelerata in utero, privilegium est Divo Josepho concessum ob rationes & motiva tanti ponderis, qualia in nullo alio reperiri erunt: quare nullum subest periculum, quod ab hoc ad alios possit trahi valitura consequentia.

CAPUT VII.

De Qualitate hujus nostræ Sententiæ.

Dico primò quod dixi hinc supra capite præcedenti, respondendo ad objectionem quartam n. 8. & 9. hæc sententia non est de credibilibus, ex necessitate, piè tamen & utiliter creditur ad salutem: Probatur primò. Nam quò quis sanctior esse comprobatur, eò etiam potentior esse creditur apud Deum: quò autem Sanctus potentior esse creditur, eò magis crescit fiducia impetrandi per ipsam.

Hæc doctrina evidens & ex illo psal. mi 138. vers. 16. *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus:* quare enim nimis honorati? nimirum inquit consequenter Psalmista, quia *nimis confortatus est principatus eorum.* Ex quibus verbis colligitur ea proportionem crescere apud nos Sanctorum reverentiam & devotionem, quâ crescit illorum apud Deum Principatus, idest authoritas & potestas: Hæc autem crescit juxta mèsuram sanctitatis. Porro ex sanctificatione in utero hæc omnia crescere